

CENSVRÆ  
FACVLTATVM  
SACRÆ  
THEOLOGIÆ  
LOVANIENSIS  
AC  
DVACENSIS.

SVPER QVIBVSDAM ARTICVLIS  
de Sacra Scriptura, gratia, & præde-  
stinatione Anno D. 1586. Loua-  
nij scripto traditis.



PARISIIS,

---

M. D C. XXXXL.



# CENSURA LOVANIENSIS.

## PRÆFATIO.

*REVERENDIS IN CHRISTO*

*Patribus, Patri Rectori ac Professoribus ceterisque  
Patribus Collegij Societatis Nominis IESV in  
Vniuersitate Louaniensi; Decanus & reliqui Theo-  
logiae Facultatis in eadem Vniuersitate Magistri ceter-  
nam salutem pacemque precantur.*

**R**EVERENDI Patres. Cum nuper ad au-  
res nostras peruenisset, peregrina, offensi-  
ua, & periculosa quædam dogmata, circa  
Dei gratiam, & prædestinationem, in pu-  
blicis prælectionibus vestris, anno supe-  
riori tradita atque asserta fuisse, quæ pro-  
inde inter auditores communisque discipulos, dissidia,  
contentiones, ac partium studia generarent, non id pu-  
tauimus negligendum. Ne quid tamen leuiter aut te-  
merè credidisse, vel processisse videremur, certis qui-  
busdam Collegij nostri Magistris negotium dedimus,  
vt perlectis diligenter Professorum vestrorum in hoc  
argumento dictatis, dispicerent, veranè an falsa perlata

A ij

*Decretum Facultatis S. Theologiae Louaniensis  
Anni 1613.*

**S**ecunda Augusti 1613. Cùm ad aures Facultatis Sacrae Theologiae Vniuersitatis Louaniensis peruererit sparsum esse in Hispania, Italia, & alijs partibus eam in materia de auxilijs & gratia Christi mutasse sententiam, & ab antiqua, quam in sua Censura Summo Pontifici Romano transmissa quondam tenuit, retrocessisse, idque ob energiam argumentorum quæ Pater Lessius, tum viuæ vocis dictamine, tum edito libro in medium attulit; volens huic sparso rumor obuiare, & veritatem omni volenti scire manifestare, sub juramento congregata in Capitulo parvo S. Petri die trigesima mensis Iulij post vesperas anni 1613. nullo Magistrorum ipsius contradicente, tota Facultas vniiformiter declarauit, & testata est se semper tenuisse, & nunc de præsenti tenere, semper perstitisse, & nunc de præsenti persistere in sua antiqua sententia, quam in dicta Censura tenuit, & ibi declarauit, nec unquam ab illa sententia discessisse, nec in posterum Deo fauente discessuram, donec per Summum Pontificem aliud diffiniatur, aut à sancta Roma na Ecclesia, cuius Censuræ & correctioni omnia in prædicta Censura contenta, & quælibet alia à se dicta, & in posterum dicenda similiter subiicit, aliud tenere ei præcipiatur. Declarauit insuper tantum abesse ut argumentis Patris Lessij antedicti à sua sententia recesserit, ut ex aduerso quemadmodum olim ipsius dictata improbauit; ita nunc improbet ipsius edita scripta in hac determinata materia. Permisit quoque prædicta Facultas & voluit Copiam hujus actæ omni volenti habere, illam dari, & ad quascumque partes transmitti.

*De Mandato D. D. Decani & reliq. Magist.  
Facult. Vniverf. Louan.*

**G**E R A R D V S R I V I V S dict<sup>e</sup>  
Sac. Th. Facult. Bedellus ac Not.